




Specimen litterarium exhibens disquisitionis de linguae Paulinae idiomate tomum I-II

<https://hdl.handle.net/1874/287622>




Misc. doctr.

Qu. n° 192

1. B. A. Lasonder. Spec. ^{litt.} exh. disquisitiones de linguae Paulinae idiomate T. I.
2. Id. Spec. theor. exh. disq. de linguae Paulinae idiomate. T. II
3. M. van Thiel. Over de normale menstruatie etc.
4. J.J.C. M. van Dieren. De ontsteking van den voorhoofds. boezem etc
5. C. Ph. van Boetzelaer. Schets der handelingen van de Londensche Conferentie.
6. D. de Feyffer. Verhandeling over den kindermoord.

Bⁿ



866-67

II

SPECIMEN LITTERARIUM
EXHIBENS
DISQUISITIONIS DE
LINGuae PAULINAE IDIOMATE
TOMUM I.

RIJKSUNIVERSITEIT TE UTRECHT



1899 5021

SPECIMEN LITTERARIUM
EXHIBENS
**DISQUISITIONIS DE LINGUAE PAULINAE
IDIOMATE TOMUM I.**

QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI
HENRICI CHRISTIANI MILLIES,
THEOL. DOCTOR., LITT. HUM. PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET
LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DISCIPLINA
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET


DIE XXV M. JUNII, ANNI MDCCCLXVI, HORA I.

BERNARDUS ALBERTUS LASONDER,

Graffensis.



TRAJECTI AD RHENUM,
APUD L. E. BOSCH ET FILIUM.
MDCCCLXVI.




PARENTIBUS

OPTIMIS, CARISSIMIS,

PRAECEPTORIBUS OMNIBUS

D. D. D.

SCRIPTOR.




CONSPECTUS.

INTROITUS.

	PÆG
§ 1. Unde petitum est hujus disquisitionis argumentum?	2
§ 2. Quomodo se habet hujus disquisitionis argumentum?	5
§ 3. Quo tendit hujus disquisitionis argumentum?	9
§ 4. Nonnulla varii generis monentur.	13

PARS LEXICALIS.

PRAEMONENDA	22
INDEX GRAECITATIS	27



INTROITUS.

Antequam ipsa de re agere incipiam, uti mihi lubet more scriptorum illorum qui, metuentes incidere in medias res, initium ducunt a via indicanda qua progressi sunt in argumento inveniendo et disponendo. Nempe multa et gravia mihi in medium sunt afferenda, non solum totum opusculum, sed in primis etiam varias ejus partes spectantia. Exordio igitur ducto ab iis quae ad universum libellum pertinent, deinde singula tangam; omittuntur hoc loco ea quae tantummodo pertineant vel ad partem lexicalem vel ad grammaticalem vel ad appendicem, quippe quae aptius commemorari poterunt suo quaeque loco.

Primo igitur loco paucis exponam rationem qua argumentum inventum et praeterea jam aliquatenus qua rati-

one dispositum sit. Nam propositum est mihi hic tribus hisce respondere: unde hujus disquisitionis argumentum petitum sit? quomodo se habeat? quo tendat? — quo facto nonnulla alia addenda habeo.

§ 1.

Unde petitum est hujus disquisitionis argumentum?

Percurrens aliquando WINERI¹⁾ grammaticam Novi Testamenti, incidi in illam introitus partem, ubi dicit vir doctus desiderari adhuc plurimorum Novi T. auctorum grammaticam quandam specialem²⁾. Hoc dictum viri clarissimi fuit, quod mihi hujus commentationis argumentum praebuit; quod eo lubentius amplexus sum, quia mihi simul dissertationis theologicae et philologicae materiam suppeditabat. Et sane non exiguum fructum ille specialis grammaticae conficiendae labor promittebat, si ratio aliquid valet, qua usus est LIEBERKÜHN in dijudicanda authentia Vitarum NEPOTIS, quippe qui sic dicit in Defensione CORNELII NEPOTIS contra AEMILIUM PROBUM, librarium³⁾: „Jam vero ex mira ATTICI (vitae) cum caeteris Vitis similitudine efficiam, illas quoque non posse ab alio auctore profectas esse. Quae similitudo imprimis in eadem conspicua est cogitandi judicandique ratione. Quam cogitandi rationem multi sentiri quidem,

1) Editionem scilicet quintam (p. 14). Sexta editio probabiliter statim me deterruisset a proposito, quia ibi (p. 10) uncinis additis locus landatur, quo specialem talem grammaticam improbandam esse perhibetur. Num vera sit haec WINERI sententia, infra (§ 4) investigabitur.

2) GL. PH. CH. KAISER jam aliquid in publicum prodidit (Erlang. 1842 1843) „de speciali IOA. Ap. grammatica” et „de speciali PETRI Ap. grammatica”.

3) G. E. T. LIEBERKÜHN. Vindiciae librorum injuria suspectorum. p. 105.

demonstrari tamen non posse dicent. Poterit tamen demonstrari quoque, siquidem verum est, sentiendi similitudinem tum maxime cerni, cum ad similes designandas res similes eaedemque adhibitae sint sermonis formae." Eadem ratione ego mihi aliquid conferre posse videbar ad quaestione de authentia hujus illiusve libelli sacri dirimendam, si ex scriptis cajusdam Novi T. auctoris ὁμολογουμένοις efficerem, quid criterium esse deberet in ejusdem ἀντιλεγομένοις dijudicandis ^{1).}

Quod quum mihi esset propositum, reliquum erat ut eligere hunc illumve Novi T. libellum. Non autem diu anceps haesi; scripta enim Paulina meo consilio optime convenire videbantur. PAULO enim suum esse idioma, non minus clare ostenderunt inter alios DA COSTA ²⁾, HARTING ³⁾, WILKE ⁴⁾,

1) Num sint *aiθερινά*? Sane opus dignum intenta disquisitione et quod instituatur nec temere nec timide. Saltem mihi quoque persuasum est quod JOWETT (The Epistles of St. PAUL vol. I. p. 216 sq. [2. ed.]) monet: "Any mode of explanation is in its tendency far more dangerous than the simple admission of the existence of a discrepancy, because it introduces into Scripture a hypercritical and unreal method of interpretation, which may be anywhere made the instrument of perverting the meaning of the text."

2) PAULUS. I. p. 213: "al de brieven van PAULUS hebben met elander den beslissenden familietrek gemeen, dien eenc iets meer dan voorbijgaande beschouwing en opmerking ligt te onderkennen vermag."

3) Over den brief aan de Efeziërs. p. 53: "Zijn (PAULUS') onafhankelijk persoonlijk karakter bovenal dc hem zoo geheel eigen beschouwing van de waarheden des Christendoms staan ons borg, dat hij zich ook van andere, hem kennelijk onderscheidende woorden en vormen moet bediend hebben".

4) Qui urget imprimis ut ita dicam *internam* dicendi rationem. Die Hermenentik des N. T. tom. I. p. 254: "Er (PAULUS) hat eine gewisse Weise zu argumentiren, und pflegt die Rede auf Bestimmtheit zurückzuführen Seine Verstandesfunctionen bei Bildung des Ausdrucks sind Distinction und Combination".

DE WETTE¹⁾, quam GERSDORF²⁾, MAYERHOFF³⁾, NIERMEYER⁴⁾, alii⁵⁾ vere poëtam cecinisse⁶⁾:

Sua cuique quum sit animi cogitatio,
Colorque proprius?

Accedit, quod hae epistolae, quae semper mirum in modum virorum doctorum ingenia exercuerunt, impensis hodie maximi sunt momenti, utpote aptissimae ad solvendas quas dicunt graves hujus aevi quaestiones⁷⁾.

1) Einleitung in die Bücher des N. T. p. 269 (6. ed.): „Sic (die Briefe des Apostels PAULUS) sind der treue Abdruck seines grossen Geistes, und tragen in Inhalt und Schreibart ein sehr bestimmtes schriftstellerisches Gepräge“.....

2) Beitrag zur Sprach-Charakteristik der Schriftsteller des N. T. p. 2: „Man höre nur und beobachte in dieser Hinsicht manchen und man wird finden dass fast jeder für sich in dem, was er sagt und wie er es sagt, besonders auch im Gebrauche gewisser Wörter und ihrem Verhältnisse zu einander Mehreres habe, das ihn von anderen genau unterscheidet sobald man nur fleissig und lang genug beobachten kann, so entdeckt sich sowohl im Ausdrucke als in den Gedanken der einzelnen Person eine auffallende Gleichartigkeit“.

3) Der Brief an die Colosser, p. 42: „Es ist natürlich, dass ... eine jede andere Denkweise sich eine eigenthümliche Darstellungsart der Gedanken bildet“.....

4) Over den brief aan de Efeziërs. p. 383: „Hoe ver de kunst ook gaau moge, om de schrijfwijze van anderen na te bootsen, door eene bezadigde en strenge kritiek op de proef gesteld, zal oorspronkelijkheid en navolging meestal aan het licht komen.“ Quae verba simul docent quomodo accipi debeat ejusdem exclamatio (p. 387): „Wat is Paulinische schrijfwijze?“

5) Cf. dictum illud saepius laudatum: *Le style c'est l'homme.*

6) PHAEDRI Fab. V. prol.: 7 sq.

7) In quibus haud parum de Novo T. agitur. Hae epistolae maximi igitur sunt momenti, si quidem vere de iis perhibuit DE WETTE (Einleitung in die Bücher des N. T. p. 269 sq. (6. ed.): „Die Briefe des Apostels sind die wichtigsten Denkmäler der urchristlichen Zeit, obgleich sie sich fast alle auf besondere, zum Theil auf augenblickliche Ver-

§ 2.

Quomodo se habet hujus disquisitionis
argumentum?

Quum igitur consilium iniissem disserendi de linguae Paulinae idiomate, constitui utrumque specimen et philologicum et theologicum de eodem scribere argumento; idque ita ut hoc illius esset continuatio. Quomodo autem proprie se habet hujus disquisitionis argumentum? Num discessi a proposito pridem facto? Discessi quadam ex parte. Tamen nullo pacto dici possum penitus mutasse sententiam. Re enim probe inspecta perhibere licet speciem tantum esse mutatam, minus vero disquisitionem ipsam. Sed alio nomine, non specie tantum, meum opusculum a LIEBERKÜHNIO differre lectori attento jam statim apparebit. Nimirum mihi fatendum est, quemadmodum ex superioribus jam patet, me partem modo tetigisse, LIEBERKÜHNUM rem totam absolvisse: ille enim et dicendi NEPOTIS et cogitandi judicandique rationem observavit; ego vero omnibus aliis missis factis non nisi linguae Paulinae proprietatem. Unde sequitur hac mea inquisitione tantum pauca effici posse, nisi conjugatur cum alia, quae in sentiendi rationem inquirat; mea enim investigatio per se neque ostendere potest *ἀντιλεγομένων* Paulinorum¹⁾ authentiam neque contrarium.

hältnisse beziehen..... Dic wichtigsten darunter..... bilden den festen Kern der neutest. Sammlung". Quo postremo titulo (fester Kern der neutest. Sammlung), ut sponte apparet, etiam uti possemus, si quod ad BAUERI scrupulos caeterosque attinet de quovis fateri debemus: We find BAUER's justification in the unwilling admissions of his opponents" (MACKAY). Quotquot enim scrupuli injecti sint, nondum omnes epistolae tanquam spuriae improbantur.

1) Quid sibi velit hoc nomen, vid. infra § 4 (compondia) ubi quoque

Qualis eventus nihilominus operac pretium mihi visus est: si quidem illo modo *nullum demonstrare nequeo*, tamen fieri potest ut saltem *aliquid probem*.

Sed cavendum est ne in errorem lectores ducam. Scilicet iis quae dixi addendum est, etiam ea in re a LIEBERKÜHNIO me differre, quod ille sibi comparatum criterium adhibuit ad omnia *NEPOTIS ἀντιλεγόμενα*, ego vero normam meam nonnisi ad Paulinorum parvam partem. Primum aliter mihi erat propositum, ut ipsa res docet; sed deinde vi coactus ita agere decrevi ¹⁾. Cujus rei causa haec est: totum munus modo memoratum (comparare criterium et adhibere ad omnia *ἀντιλεγόμενα*) satis est grave et facile tanti momenti, ut temporis spatium tali duplii disquisitioni plerumque destinatum non sufficeret. Ut enim omnia bene perficerem in hoc opere absolvendo, et linguae Paulinae idiomatis norma comparanda, et adhibenda ad singula quaeque *ἀντιλεγόμενα* Paulina, haud dubie summa

affero vocabulum *ὅμολογον μέτρων* oppositum *ἀντιλεγομέτρους*. Quamvis jam antea in animo erat his verbis illo sensu uti, tamen constitui demum facere, postquam simili significatione eadē jam antea usurpata (cf. F. C. BAUR in opere ejus quod PAULUS inscribitur) videram. Caeterum quod ad *ὅμολογον μέτρα* illa attinet, infra apparebit eo nomine me etiam comprehendisse epistolam ad Galatas, nec non postrema duo capita epistolarum ad Romanos. Quamquam enim me non latet, esse qui dicant haec PAULO esse abjudicanda, imo quamvis censeo horum duorum capitum authentiam non adeo firmis nisi fundamentis, ut non operaे pretium sit rem ad examen vocare, — tamen non potui non haec quoque annumerare *ὅμολογον μέτρων* Paulinis.

1) Decrevi demum, postquam intellexeram spatium in specimine philologo antea concessum parti grammaticalī magna ex parte addendum fore parti lexicali, postquam igitur, ut fit, jam sensim paulatimque labor accreverat.

ἀντιβείζ opus erat ¹⁾ , nec non temporis spatio non angusto. Itaque necessitate coactus operis partem in aliud tempus rejeci. Vix vero dici potest, quantum doleam sero didicisse :

..... „quid ferre recusent“
„Quid valeant humeri“

Verumtamen optans proferre quantum fieri poterat *nullum*, potius quam *nulla*, aliter opus institui non potuit. Praeterea spero fore ut haud longe post peracta studia academica mihi otium sit ad absolvendum olim in humeros susceptum laborem; in quo perfungendo fieri ita poterit, quod mihi profecto satis magni est pretii, ut utar etiam vivorum doctorum auditis observationibus. Caeterum idem hanc quoque ob causam dolendum est, quia rerum exponendarum divisionem post mutatam sententiam minus aptam fieri necesse erat. Nempe secundum pristinum propositum eam ita instituere in animo arat, ut specimen litterarium totum laudatum criterium completeretur, quod in specimine theologico adhiberetur ad omnia *ἀντιλεγό-*

1) Ut alibi, etiam hac in re difficiles erant inventu HORATII (Satyr. I : 1 : 106 sq.) illi :

..... „certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum“.

Sed magis magisque vidi prorsus nihil esse negligendum. Neque igitur quas antea viri docti posuerant regulas, quamvis rejiciendas, in meo opusculo praeterii silentio. Sie v. c. cilicismos antea factos non praeterii, sed dixi de iis (cf. tom. II. Additamentum), quippe ex quibus saltem apparere posset adeo suos Paulo esse idiotismos, ut tales regulae de ejus lingua fingi potuerint.

2) HORATII Epist. ad Pisones v. 39 sq.

μεν Paulina. Sic non inepte divisae fuissent variae disquisitionis partes. Attamen neque novam hanc divisionem improbandam esse censeo. Quod enim antea destinaveram specimini theologico, partim nunc instar appendicis eidem est additum. Caeterum hujus speciminis argumentum factum est criterii pars grammaticalis, cuius pars lexicalis in specimine philologico est exposita; duabus enim his partibus ¹⁾ totum criterium constare debere mihi visum est ²⁾. Rebus ita comparatis satis bene inter se cohaerere mihi videbantur variae dissertationum partes, et ipsa dissertationes ita esse comparatae ut optime in eas quadraret inscriptio: *Disquisitio de linguae Paulinae idiomate* ³⁾.

Ex qua inscriptione, ut hoc obiter addam, statim jam appareat, me hujus tituli promissis facile staturum esse, aliis verbis: has dissertationes daturas esse plus quam linguae Paulinae idioma, proprie sic dictum. Missam facio quaestionem, utrum argumenti tractatio omnibus numeris absoluta sit nec ne? Non id volo ⁴⁾; quaero

1) Lexicalis et grammaticalis. Probe scio haec vocabula barbarae latinitati esse annumeranda, sed hic uti saepius alibi mihi eligendum erat alterutrum: periphrasis vel vocabulum minus Latinum. Usus autem linguae Latinae, quod obiter observare lubet, quamvis hodie non ex omni parte in tali re qualem specto probandus (cf. D. HARTING. Grieksch-Nederd. handwoordenb. op het N. T. p. X sq.), tamen haud unam ob causam mihi commendandus erat: propter argumenti proprietatem, praemissum specimen philologum, alia.

2) Caeterum de necessitudine Novi T. lexicon inter et grammaticam operae pretium est conferre ALEX. BUTTMANNUM (Gramm. des neutest. Sprachgebr. p. XI sq.), itidem dignum qui adeatur propter Novi T. grammaticae componendae rationem (Il. p. VI sqq.).

3) Disquisitionis partem priorem igitur efficit specimen philologicum; altera pars est specimen theologicum, tomii II nomine priori (tomo I) addita. Quare non ordine mutato? vid. infra p. 19.

4) E contrario ad hanc quaestionem quod attinet, libenter facio cum

tantum: sitne vera mea inscriptio, an non? *Linguæ Paulinae idioma* si dicimus, quid est quod volumus? Nihil aliud nisi id quod distinguit linguam PAULI ab uniuscujusque alias auctoris. Quid autem ego attuli? Et ipsum illud, et id quod distinguit linguam PAULI a caeterorum Novi T. auctorum. Nec merito haec attuli. Imprimis hanc ob causam, quia et in tali disquisitione initium sumendum est ab investigatione quid distinguat aliquem a suis aequalibus qui simul ejusdem sunt gentis, et propositi mei ratione habita maximi est momenti eadem haec quaestio. De caeteris autem causis, quum fuse agat WINER¹⁾, verissime se ipsum non tantum, sed mutatis mutandis me quoque culpa negligentiae liberat. — Atque haec quidem hactenus!

§ 3.

Quo tendit hujus disquisitionis argumentum?

Hisce muneric partibus peractis, reliquum est ut

PHIL. BUTTMANNO dicente (Grammatik. Vorrede): „Aber bei dem immer gröszer und zerstreuernder werdenden Umfang aller Litteratur und namentlich der unsrigen, und bei der Beschränkung, die jedem durch seine übrigen Verhältnisse erwachsen, komme ich immer mehr von dem Wahne zurück, dasz man nicht eher mit einer Arbeit auftreten müsse, bis man alles vorhandene darüber in Bereitschaft und alles berücksichtigt habe“. — Neque tamen pugnant inter se hoc praescriptum et aureum illud HORATII (Epist. ad Pisones. v. 386 sqq.):

..... „si quid tamen olim
Scripseris
..... nonumque prematur in annum.“

1) Grammatik. p. 2 sq.

breviter exponam de hujus disquisitionis consilio. Paucis absolvit poterit, quippe quod jam aliquatenus ex superioribus apparuit. Scilicet quo tendat hujus disquisitionis argumentum jam satis inde cernitur, quod ex scriptis cuiusdam Novi T. auctoris ἐμολογουμένοις componere vellem¹⁾ normam quandam, qua adhibita ejusdem auctoris ἀντιλεγομένων authentia dijudicari posset. Probe tamen tenendum est me nonnisi linguae rationem habere voluisse, non igitur omnia tractasse quae ficerent ad dijudicandam authentiam.

Neque hoc celo lectorem, qua causa ductus primo suscepimus laborem, scilicet ut scriberem specialem cuiusdam Novi T. auctoris grammaticam. Nullo enim pacto norma memorata satis absoluta evadere poterat, nisi de speciali PAULI grammatica rite examen instituisset. Quae igitur grammatica diligentissime erat elaboranda eoque magis quia, ubi agitur de authentia, haud dubie haec valet regula: falsarium facile sane imitari scriptoris cuiusdam λέξεις, minus vero ejusdam rationem grammaticam²⁾.

Quid autem praeterea sibi velit haec disquisitio, hac ratione exprimi potest: prodesse studiis εἰσαγωγικοῖς epistolarum Paulinarum ἀντιλεγομένων. Operae enim pretium

1) Cf. supra § 1.

2) Et alias ob causas et quod falsarius recte imitari nequit subtilia illa, quippe quemadmodum neque in universum minus in oculos incidentia. Quodsi nihilominus facere vellet, tamen ea subtiliora in caetera non quadrarent: non sibi constaret tota oratio. GERSDORF (Beiträge, p. 2) igitur hisee praemissis: „das was den Einen von dem Andern in seinen mündlichen und schriftlichen Äusserungen auszeichnet und unterscheidet nachzuweisen, ist nun die Sache der Sprach-Characteristik“ — vere addere potuit: „Freilich sind es fast nur Kleinigkeiten, die hier in Betracht kommen. Aber überhaupt sind klein und gross nur relative Begriffe.“

fecero, si normam quandam sive criterium authentia^ce
harum epistolarum praebuerim. Scilicet ea via inita,
spero fore ut simul viam paraverim unicuique cupienti
certiorē fieri de linguae idiomate cuiusdam ἀντιλε-
γούμενον, utrum Paulinum sit nec ne. Qualis scientia
acquiri poterit, quamvis non facile, tamen haud dubie,
si quidem minus quaeritur de hoc illo vocabulo, num
usurpatum sit, quam quomodo sit adhibitum ¹⁾. Quod
si vero practer spcm cessisset ²⁾, tamen non dici possem
frustra operam navasse: non solum enim probatum esset,
illam viam non ducere ad certum finem, itaque studia
sīσαγωγή nil profectura esse ejusmodi disquisitione
instituta, sed praeterea staret aliud illud consilium, spe-
cialis PAULI grammatica. Quae quidem materia, utpote
nova quodammodo dicenda, haud levis est momenti,
eoque magis mihi accepta, quia illo modo mihi data

1) Tanguntur similia in Appendix Praemonendis. Caeterum si
torte quis objicit, talem scientiam, instituendae comparationis epicrisis,
debere per se certam esse, non pondere a ratione qua instituatur
comparatio, saltem si probum est criterium, — mihi respondendum
est: dicens criterium, non volo omnibus numeris absolutum.

2) Non dicas causa hacc adduntur. Nam sunt qui dicant, non fieri
posse ut tale criterium praebatur. NIERMEYER (Over den brief aan de
Esceïers. p. 386) v. c. haec habet: „Men spreekt ook, als of men een
onfeilbaar maatstaf bezat, om aanstonds over de Paulinische schrijfwijze
uitspraak te doen, en” etc. Simili modo VAN DER VIES (De beide
briefen aan de Thessalicensen. p. 11) quaerit: „Welke zal de maat-
staf zijn waarmede wij het echt Paulinische zullen meten?” Ad hujus
autem verba quod attinet eff. praeter ea quae ipse affert (ll. p. 25 sq.)
Appendicis Praemonenda; quomodo vero illius verba accipienda sint? vid.
supra p. 4: 4); caeterum in universum eff. ll. GERDORF, MAYER-
HORFF etc., nec non HARTING, DE WETTE etc. Quod attinet ad id quod
criterium componi vix possit, quia componi nequit specialis quaedam
satis perfecta grammatica (cf. NIERMEYER. ll. p. 393, 449), vid.
sequens §.

est copia, colere ampli grammaticaे¹⁾ campi parvulum saltem agellum, ad hunc usque diem satis incultum.

Materiem autem novam, quod obiter tangere lubet, agellum incultum dicens, non ignoro hac in re haud parum jam praebuisse, duntaxat aliquid praeparasse et alias et KAISERUM, supra laudatum, et GERSDORFIUM, quamvis nequaquam grammaticum dicendum omnibus numeris absolutum²⁾. Saepius de re grammatica praedicantur italia, quibus auditis facile persuasum sit hominibus, hoc demum aevo evasisse illam omni ratione perfectam. Quod satis mirum esset. De suo tempore GLASSIUS³⁾ idem praedicat, dicens: „et cum nostro tempore restitueretur vera grammatica enarratio vocabulorum in hoc loco, rursus restituta est puritas doctrinae”; itaque jam abhinc duo saecula restituisse veram grammaticam enarrationem homines sibi videbantur⁴⁾. Progressus doctrinae apte

1) ELЛИCOTT (St. PAUL's Epistle to the Ephesians. p. VI [3. ed.]) disserens de re grammatica linguac Graecae, ut hoc obiter dicam, conferre jubet grammaticam doctissimi DONALDSON (Greek Grammar of Dr. DONALDSON), de qua haec inter alia praedicat: „that (it) is so complete in all its parts, and so felicitous in its combination of logic with grammar, as to form a most important contribution to the accurate study of the Greek language”. — De linguae Graecae historia variaque forma dignus est prae aliis qui conferatur F. W. A. MULLACH (Grammatik der griechischen Vulgarsprache).

2) Cf. tom. II. p. 3 sq.

3) SAL. GLASS diem jam obiit anno 1656. Operis laudati titulus est: Philologia sacra.

4) Neque tamen inficias ire volo, nostrum aevum de re grammatica bene meritum esse. Nec possum non memor esse judicii pronunciati tom. II. p. 3 sq.: „Sane vehementer dolendum est, quod ante hoc aevum non majorem operam docti impenderint inquirendo de Novi T. grammatica, itaque WINER non invenerit hanc materiem magis excusatam. Haud dubie hac in re multa inter alias jam praestiterat GERSDORF, sed Caeterum haec prioris aevi virorum doctorum negligen-

comparatur cum flumine, quod non semper recto trahite procedens, sed slectens modo ad dextram modo ad sinistram partem interdum etiam originem versus, tandem in mare effluit ¹⁾.

§ 4.

Nonnulla varii generis monentur.

„Specialis singulorum Novi T. auctorum grammatica, v. c. JOHANNIS, PAULI componi posse non videtur“. Hoc WINERI ²⁾ effatum sane tale est, quod facile deterreat a proposito specialis grammaticae componendae. Non mirum igitur, me paene ab incepto destitisse; retamen probe inspecta persuasum est mihi, hujusmodi grammaticam minime esse rejiciendam. Spero igitur, quamvis nimis audax videatur, me aggressum esse laborem quem WINER perfici posse negavit, fore ut ex rebus praestitis appareat, me non suscepisse plus quam

tia non tantum cernitur in grammaticae studio: eadem res etiam offendiculum est hujus aevi λεξιογραφοις³⁾.

1) Ut uno tantum exemplo probem jure comparationem illam a me esse allatam, laudo haec verba: „die ältern aus der Reformationsperiode sind fast frei von solch verkehrtem Wesen“ (gewisser noch jetzt gangbarer Commentare aus dem 18. u. 19. Jahrh.) WINER. Gramm. Vorrede. Unde simul apparet aevum nostrum, quod multa sane invenit, nihil secius multa a praecedentibus posse discere.

2) Gramm. p. 3 sq.: „Eine Specialgrammatik einzelner N. T. Autoren, wie etwa des JOHANNES, des PAULUS erscheint unstatthaft. Das Individuelle der Diction namentl. dieser Schriftsteller bewegt sich fast nur in dem Gebiete der Wörter und Phrasen (Lieblingsausdrücke) oder fällt dem rhetorischen Elemente anheim Hierher sind nun auch meist die Eigenthümlichkeiten in der Wortstellung zu rechnen. Die Grammatik wird nur selten von diesen Individualitäten berührt.“

valerent humeri. Quae spes haud parum alitur hisce GL. PH. CH. KAISERT¹⁾ verbis²⁾: „Ac distinguenda sunt ea quae alicui in suo genere scriptori soli propria sunt et priva, licet et ipsa legibus omnium linguarum non contraria, et ca, ad quae, licet ipsi cum aliis ex suo genere scriptoribus communia, prae his praecipue proclivis est. Haec recipi posse in specialem s. scriptorum grammaticam erant qui negarent, sed immerito. In quibus etiam esse WINERUM (nullam omnino concedentem N. T. grammaticam specialem ...) ideo miror quod et ipse V. D. singularem tractatum scripsit de soloecismis, qui in apocalypsi JOANNIS esse dicuntur.”

Ad WINERT vero eam observationem quod attinet, quamvis minime parvi faciam optimum illum grammaticum, valet, quod dicunt: ubi rerum testimonia adsunt, quid opus est verbis? Addere tamen pauca libet; non enim WINER solus tuctur illam sententiam, NIERMEYER³⁾ cum eo facit. Quod autem attinet ad hujus de illo scrupulo verba, quomodo accipienda sint,

1) Dissertatio de speciali JOA. Ap. grammatica. Erlangen. 1842.
p. 8 sq.

2) Ita ut, postquam in ea incidi, ego quoque dici possim: „that I have been more cheered and hopeful, and that I have felt increased confidence in the system of exposition” (ELLICOTT. St. PAUL’s epistle to the Ephesians. p. XII [3. ed.]).

3) Over den brief aan de Efeziërs. p. 393: „geen glibberiger pad kan men bewandelen, dan wanneer men zich op grammatische bijzonderheden spitst. Een behartigenswaardig woord is dit van WINER.” Hisce verbis spectat landatque partem WINERI observationis pagina superiori in nota allatae. Ejusdem observationis ratione habita (p. 449) addit: „Dit woord willen wij ter harte nemen, en ons dus wachten voor de klip, waarop anderen vervallen zijn, die zich grootendeels nutteloos hebben afgesloofd met de eigenaardige spraakkunst des Apostels na te sporen”.

sunt apud ipsum auctorem quae doceant¹⁾; haec verba quam minime esse urgenda. Merito haud dubie improbant specialem ejusmodi grammaticam proprie sic dictam, non autem tractatum quondam grammaticalem. Neque igitur improbanda est mea pars grammaticalis. Quae quidem naturae etiam grammaticae nomine nunquam posset, utpote ejusdem atque WINERI, ALEX. BUTTMANNI aliave Novi T. graecitatis grammatica; ambitu differunt, natura non differunt. Plura enim sane et in speciali quadam grammatica, et in Novi T. tali grammatica desunt, ita ut de hujus etymologia et de illius syntaxi pariter valeat: eam habere, ut ita dicam, fragmenti²⁾ quodammodo formam. Quae tamen similitudo nequaquam cernitur hujus syntaxin inter et illius etymologiam; quod autem non opus est, ut conspicuum sit parum discriminis inter utramque grammaticam exsistere, igitur simili jure de speciali quadam atque de Novi T. (graecitatis) grammatica esse sermonem. Si quis igitur illam grammaticae nomine ornare nollet, neque huic idem nomen tribuere posset. Praeterea apud plurimos auctores plura adsunt ossita, quae probent talem grammaticam; quorum numero

1) Ll. p. 449: „bij onzen Apostel (is het b.v.) zeer gewoon den *Infin.* met het *art. substantive* te gebruiken.” p. 454: „Doch laat ons kennis nemen met dc bezwaren, door de WETTE en WILKE, ten opzijde der *syntaxis*, tegen den brief ingebragt”. Neque praeterunda est p. 450, ne 451 sqq. quidem (: verba cum praepositione ἐν constructa; cum εἰς; conjunctio ἵνα cum conjunctivo sensū imperativi; ἵνα cum optativo; articulus inter bina nomina, quorum unum cum praepositione alteri subest, omissus). Quae scilicet omnia, jam satis multa quamvis unius tantum epistolae (Eph.), materiam praebent componendae grammaticæ.

2) Cf. de hoc titulo, quem monstravit mihi ALEX. BUTTMANN, tom. II. p. 2.

inter alios ¹⁾ praeter ipsum NIERMEYERUM ²⁾ annumerandi sunt HARTING ³⁾ et ELLICOTT ⁴⁾. Quemadmodum MAYERHOFF ⁵⁾ luculenter probat, eodem jure frui linguae Paulinae grammaticalem atque lexicalem partem, igitur improbandam esse WINERI tali de re sententiam ⁶⁾. Quae quum ita sint, satis, uti videtur, refutatis objectionibus, sine ullo scrupulo repetere licet illa: „Ubi rerum testimonia adsunt, quid opus est verbis?”

Supra (§ 2) jam vidimus, qua motus causa, proprio speciminis theologici argumento in appendicem rejecto, criterii partem grammaticalem addiderim huic specimini.

1) Cff. supra p. 4: DR WETTE, GERRSDORF etc. Illius vid. quoque ad Eph. Einleitung: „Die Schreibart zeigt einen merklichen Absall von der Paulinischen, a) in rhetorischer und syntactischer Hinsicht” etc. Ita etiam WILKE (Die Hermeneutik des N. T. tom. I. p. 260): „Beide (Kol. und Eph.) nämlich frequentiren gewisse Formeln und Constructionen” etc.

2) Vidd. loci laudati pagina superiori in nota 2).

3) Over den brief aan de Efeziërs. p. 57: „in aanmerking (komt) eene menigte constructies, waarvan wij met genoegzame zekerheid bewijzen kunnen, dat de Apostel ze ook aldus bezigde, waar hij dezelfde of verwante denkbeelden zocht uit te drukken”.

4) St. PAUL's Epistle to the Ephesians. p. XI (3. ed.): Several points of grammatical interest which particularly characterized the former Epistle (Gal.) are scarcely perceptible in the present (Eph.) In the Epistle to the Galatians, for exemple, the explanation of the uses of the cases, especially the genitive, present almost every phase und form of difficulty; the uses are most various, the combinations subtle and significant. In the Epistle to the Galatians again, the particles, causal, illative, or adversative, which connected the clauses were constantly claiming the reader's attention In the present Epistle the difficulties are exactly reversed.”

5) Der Brief an die Colosser. Missa ipsius epierisi, hoc est quod volo, ei non tantum partem lexicalem, sed etiam grammaticalem opus fuisse. Vid. p. 9: „Eine nähere Vergleichung zeigt jedoch, trotz der Kürze des Colosserbriefs, eine höchst auffallende Verschiedenheit in lexicalischer, wie in grammatischer Rücksicht.” Cff. p. 28 sqq.

6) Cf. nota in initio paragraphi.

Reliquum est, ut quaestionem repetamus, breviter ibidem tactam: num forte nimis mutatum sit argumentum quam ut etiamnum vocetur disquisitio theologica? Disquisitio enim philologica hoc nomine scrupulum injicere non potuit; sane damnum fecit aliquatenus, sed non eo pacto ut argumentum evaderet specimini philologico minus aptum. Scilicet opusculi quantitas quidem mutata est, non vero ejus qualitas. Materies igitur adhuc dicenda est litteraria, si nemp̄ eo nomine antea merito nuncupabatur. Quod quidem merito factum cssc nemo facile inficias ibit: philogum haberetur argumentum, si quis ageret, verbi causa, de lingua Sanscritica dicta. Quidni igitur, si quis tractat Graecae linguae speciem quandam¹⁾?

Jam vero redeo ad quaestionem, utrum nimis mutatum sit argumentum speciminis theologici? Negando respondeatur necesse est: si quidem v. c. WINER, ALEX. BUTTMANN et SCHIRLITZ, agentes²⁾ maxime de discrimine

1) Concedo Novi T. graecitatem non optimae esse notae, libenterque facio cum PHRYNICO, „flore et robre Atticistarum” (LOBECK), his verbis prioris aevi graecitatem laudante: „Οστις ἀρχαῖος καὶ δοξιμως θεῖλει διαιλέγεσθαι, τάδε αὐτῷ φυλακτία ἡμεῖς οὖν ὡς οἱ ἀρχαῖοι, ἀλλὰ μὴ ὡς Φαιβώνιος Οὐ γέρ τις, quod hic quoque valet, αἴτως ἀθλιός, ὡς τὸ πλούχον τοῦ καὶ τοῦ προτιθέντοι. Caeterum Novi T. linguae sane merito tribuit ELLICOTT (St. PAUL’s Epistle to the Ephesians. p. VI [3 ed.]) „a truly Greek diction”. Idem de N. T. idiomate dicit: „the language of the New Testament is, I am confident, above the reach of no one who will soundly study the general rules of thought and language, as they are now put before us by the grammarians of our own time” (ib.).

2) Hic (S. CHR. SCHIRLITZ) in opere: Grundzüge der neutestam. Gräcität. WINERI et BUTTMANNI opera quae specto sunt Grammaticae, infra sapissime laudatae. Quibus nominibus TROLLOPII (W. TROLLOPE. Greek grammar of the new testam.), STUARTI (MOS. STUART, Grammar of the new testam. dialect), BEELENI (Grammatica graecitatis

linguam inter Graecorum reliquorum et Novi T. auctorum, materie usi sint theologica, sine dubio de illo idem est perhibendum, qui tractaverit imprimis discrimen Paulinam linguam inter et cacterorum Novi T. scriptorum. Ergo et philologiae et theologiae postulatis eo modo probe satisfecisse mihi videor.

Alia autem est quaestio, num rebus ita comparatis simul esset philologicum et theologicum? aliis verbis: nonne materia disquisitionis philologicae simul est theologica, et vicissim materia disquisitionis theologicae philologica habenda? nonne igitur, nisi aliud quid obstatisset, partes commutari potuissent? Cui interrogatio affirmans dare responsum non dubito; imo confiteor me lubentissime, si per morem et legem fieri potuisse, utrumque specimen in unum corpus redacturum fuisse, quia re vera altera dissertatio alterius est continuatio. Quae autem quum fieri non possent, nihil aliud reliquum mihi visum est quam facere quod feci. Nam objectionem, quae sola supererat, melius, saltem aequa facile, partem grammaticalem praemitti potuisse lexicali, ita refutare licet: ea ratione opusculum institui, ut haec pars quodammodo etymologiae vice fungeretur¹⁾. Quae quum ita essent, partem lexicalem praemitti necesse erat eandem ob causam, ob quam vulgo praecedere solet etymologia, sequi syntaxis. Accedit, quod ipsa rei natura jubet initium sumere a ratione vocabulorum formandorum et usurpandorum; tum demum agere de eorum construc-

Novi testamenti quam composuit J. TH. BEELEN) addere potuisse. De hoc vero observandum est, enim nonnisi versionem grammaticae a WINERO conscriptae dedisse; cf. tom. II. p. 4 sq.

1) Cf. tom. II. p. 1 sq. Inter alia ibi haec leguntur: «Eoque facilis omittendi inibi consilium, quia omnes hujus generis observatione sine ullo scrupulo et aptissime in parte lexicali absolvi possent.»

tione. Quomodo enim construemus verba, nisi novimus antea, quaenam cuique propria sit vis? Quod autem ad ipsarum dissertationum ordinem attinet, quum non fieri posset¹⁾, quin dissertatio philologica praecederet theologicam, etiam necesse erat ut pars lexicalis in dissertatione philologica tractaretur, grammaticalis in theologica. —

Quod ad lectiones variantes attinet monendum est, vulgo me secutum esse TISCHENDORFIUM, utpote criticum, quamvis quidem non omnibus numeris absolutum, tamen sine ullo dubio haud uno nomine laudandum²⁾. Majore quam multos alios eum auctoritate frui censeo. Unde factum est quod, si loco quodam sermo esset de lectione quadam variante, me tales semper voluisse lectionem, quam TISCHENDORF haberet. Nihilominus non eram immemor, ut nusquam alibi ita hic quoque non jurandum esse in verba magistri; itaque ubi mihi visus est non satis firmis niti fundamentis, non dubitavi aliam sententiam amplecti. Neque ignorabam methodum edendi Novi T. textus, qua usi sunt inter alios COBET et KUENEN,

1) Quare fieri non posset, ex supra (p. 8). dictis cernitur. Ubi videlicet legitur: „Quod enim antea destinaveram specimini theologicō (criterium comparatum ad ἀριθμόν), partim nunc instar appendicis eidem est additum”.

2) Sequens judicium, sane non nimis mite utpote perstringens etiam atque carpens et Anglici censoris effatum de hoc viro docto, tamen satis sine ira et studio pronunciatum, dignum mihi visum est quod afferem: „The subjective criticisms mixed up in the notes cannot be pronounced as either very useful or very satisfactory, and will serve to show how hard it is to find in one and the same person the patient and laborious palaeographer and the sound and sagacious critic. Still we owe much to Dr. TISCHENDORF, and it is probable shall have to owe much more; his unwearied labours command our highest respect”..... ELLICOTT. p. VIII (3. ed.).

anteponi a nonnullis ei quam secutus est TISCHENDORF ¹⁾.

Quod licet non sine causa fiat, tamen ad meum usum textum, quem TISCHENDORF dedit, omnibus praestare expertus sum: hunc igitur textum adhibui, et quidem ex editione septima.

Sane dolendum est novam editionem, quam aggressus est idem criticus, paululum sero pro meo consilio in lucem prodire. Contra tamen gaudium peperit ²⁾, quod ex parte saltem jam profecimus ex doctissimi illius postremo opere, edito codice Sinaitico. Cujus ego quoque rationem habui, uti infra sponte apparebit ex ejus lectinibus subinde additis. Praeterea confidere licet, post novam illam editionem septimam non editionem plane obsolevisse ³⁾.

Etiam in adhibendis accentibus, spiritibus, interpunctionis signis similibusque secutus sum, quantum fieri poterat, TISCHENDORFIUM. Subinde tamen, ubi non satis mihi placebat ejus ratio, meam secutus sum. V. c. in abjiciendis interpunctionis signis in locutionibus ut γέγραπται γάρ Κύριον, — λέγων, Ὁμοίως. De qua re ipse sic:

1) Notum est in vulgus, valde differre inter se has duas rationes. Quibus deinde adhuc longe diversa accedit. Si quis cupidus est plura cognoscendi de variis his methodis, adeat doctissimum DOEDES (Over de tekst-kritiek des Nieuwen Verbonds. p. 370 sqq.), apud quem ipsae accuratissime descriptae videntur.

2) Quemadmodum luce clarius patet, si in memoriam revocamus talia: „It is much to be desired that the respected Editor of the (Sinaitic) Manuscript should, if possible, put an end to the doubts which are still allowed to linger round this apparently venerable and trustworthy document.” ELLICOTT. p. III (3. ed.).

3) „Septima haec mea Novi Testamenti editio tantopere aucta emendata refecta prodit ut novum opus dici queat. Data enim est opera ut prioribus editionibus quam meis tum aliorum superior prodeat non tantum incrementis apparatus critici sed ipsa ratione ac via”. C. TISCHENDORF. Novum Testamentum Gracce. p. XIII (ed. 7. maj.).

„Nihilominus nova ista ratio (i. a. de abjiciendo interpunctionis signo) vix retinenda erit, quippe quae nihil prorsus a codicibus auctoritatis habet“¹⁾. Caeterum vero quod ad interpunctionis signorum raritatem attinet, hac in re idem mihi dux fuit, utpote commendandus sat gravem ob causam²⁾. —

Ratione indicata qua inventum, nec non aliquatenus ea qua dispositum est libelli argumentum, jam ipsius a me institutae disquisitionis priorem partem offero. Addo explicationem eorum scribendi compendiorum, quae explicacione indigere videbantur.

abs. = absolute.

gen. = generatim.

ad h. l. = ad hunc locum.

l. = loco = pro.

ad l. sq. = ad locum se-

obj. = objective.

quentem³⁾.

δυνατ. = δυντιλεγόμενα⁴⁾.

anal. = analogice.

opp. = opponitur.

ἀντιλ. = ἀντιλεγόμενα⁴⁾.

pp. = proprie.

ell. = elliptice.

spec. = speciatim.

emph. = emphatice.

subj. = subjective.

euphem. = euphemistice.

taut. = tautologice⁶⁾.

1) Il. p. LXIII.

2) Vid. TISCHENDORF. Il. p. LXII.

3) Ad l. sq. ponitur pro ad h. l., si locus nondum expressus est, sed sequitur.

4) = Eph. Phil. Col. 1 et 2 Thess. 1 et 2 Tim. Tit. Phil.

5) = Rom. 1 et 2 Cor. Gal.

6) Caeterum etiam usus sum hoc compendio: Gr. et Lat. metaph. Vulgo cognitum est haec esse = Graece et Latine metaphorice. Qua formula, cuidam vocabulo addita, indicare volui, et ipsum hoc vocabulum et ejus versionem II. accipiendam esse non sensu allato (proprio), sed metaphorice.



PARS LEXICALIS.

PRAEMONENDA.

His mei muneris partibus peractis, jam nonnulla in medium afferenda sunt de modo quo argumentum est dispositum. Missis autem factis hoc loco quac partem grammaticalem et quae appendicem spectant, unice nunc specto lexicalem hanc partem.

Antequam igitur ipsam materiem — partem lexicalem — aggrediar, mutatis mutandis rogo cum *λεξικογράφῳ* illo M. CHE. ABR. WAHL¹⁾: „Quasnam regulas sibi scripserit hujus libri auctor?” Haec aliaque hujusmodi docebunt sequentia. Et primum quidem de nominibus propriis breviter hacc dicenda habeo: nomina propria, utpote levioris tantum momenti — ratione mei propositi habita —, tantum non omnia sunt omissa. Arbitrabar enim, neque omnia esse omittenda neque omnia afferenda. Nam quamvis, si alias generis

1) Clavis Novi Testamenti philologica. p. VI.

esset argumentum, fortasse prorsus omittenda essent, in hac disquisitione idem fieri non potuit; contra probe tenendum erat quod eruditus WINER vere monuit¹⁾. Quae cum ita essent, passim nomina propria attuli; qua ratione in optandis his, omittendis illis ductus sim, sponte apparebit.

„Est modus in rebus, sunt certi denique fines.” Hujus effati non immemor non tantum illam mihi scripsi legem, sed etiam addidi hanc: in nostram vocabulorum seriem admittenda esse *verba*, quorum afferendarum nulla alia causa esset, quam quod in Novo T. nonnisi passivo genere in epistolis Paulinis essent obvia; contra omittenda *nomina*, quorum admittendorum nulla alia causa foret, quam quod in Novo T. tantum plurali numero a PAULO usurparentur. Idecirco v. c. formam ἐγκαταλείπομαι (ἐγκαταλείπω in Novo T. etiam alibi occurrit, passivum vero tantum apud PAULUM) attuli eandem ob causam ob quam e. g. adjективum ἀβαρῆς (in Novo T. in epistolis Paulinis tantum obvium). E contrario praeterii silentio pluralem ὁδοιπορίᾳ (ὁδοιπορία in Novo T. etiam Joh. 4: 6 adhibetur, sed ὁδοιπορίᾳ nonnisi 2 Cor. 11: 26), utpote levioris momenti. Ductus eadem ratione, ad formulam συγκοινωνίες τινος non monui, Apoc. 1: 9 εὐ τινι usurpari pro τινός, neque ad dicendi formulam ἐπιστεύομαι ἐπὶ τινι, Hebr. 2: 11, 11: 16 infinitivum sequi loco ἐπὶ τινι, — talia ducens superflua et cuique facile invenienda. Nequaquam vero negligenda erat in voce πιστεύομαι locutio πιστεύεμαι ἐπὶ τὸν Θεόν, utpote quam minime ejusdem significationis

1) Bibl. Realwörterbuch zum Handgebrauch (p. V): „Dagegen darf das Wörterbuch linguistischer Beziehungen halber sie keineswegs ausschliessen.”

